

INDEX

Alphabetico & Voluminis.

A.

- De Enigmatis legum 1.
- Apicib⁹ iuris.
- Anno novi iustitia.
- Angelorum iure.
- Abentmag⁹ regt.
- Artifice voluptatis.
- Uſgermilla uorste.
- Abnabmedecste.
- Arbores iure.

B.

- De Baptismi iure 24.
- Baum regte. 27.
- Blumen regte. 26.
- Bono publico privatorum
bonis preferendo. 38.
- Bonorum omnium iudicia 37.

C.

- | Nº. | | Nº. |
|-----|----------------------------|-----|
| 11. | De flyped militari. | |
| 15. | Circis signo, ſieuz zeich. | |
| 18. | Capite jejunij & fermenti. | |
| 21. | Canicularib⁹ dieb⁹. | |
| 23. | Griſfeldregt. | |
| 25. | Caræ sacre iure. | |
| Ma- | conventione probabilita- | |
| 28. | gishabit⁹ cum ſubdit⁹. | |
| 36. | colleſtarum iure. | |
| 40. | culpa proprie impunita- | |
| 43. | cerfi protectionis. | |
| 41. | controversie Theres. | |

D.

- De dieb⁹ canicularib⁹. 21.
- Decanis. 30.
- Decremento. 19.
- Dignitatis pustine memoria. 9.

E.

- De Embra felici. 8.
- Eo quod pendet. 29.
- Embryonū iure. 35.
- ly des wiedergebr. ſiebung. 45.
- Engelsregte. 22.

XIII.

CHRISTIANI VVILDVOGELII. JCT.

CONSILIAR. SAXO-VINAR. AVLICI
ET IN ACADEMIA JENENSI ANTECESSORIS
COLLEGII JVRIDICI h. t. DECANI

DE

STALLO IN CHORO

ad

cap. XIX. XX. XXV. d. prabend.

PROGRAMMA IN AVGVRALE.

P.P. Jenæ die XIVX. JUN. A.O.R. M. DC. XCV.

J E N Æ
Litteris Müllerianis.

tit:le book



Utemadmodum naturalis
rationis atque Politicorum di-
ctata efflagitant, ut ordo quidam civi-
um in Rep. servetur nec promiscue o-
mnes æquali perfruantur jure, sed juxta
prælastris virtutis excellentiam, quā
quisque præstat, aut pro fulgentissimi,
quo fungitur, officii dignitate, alter al-
teri præferatur, ita utidem quoque ex-
teriori quodam charaktere distingvantur ab invicem, rationi
quam maximè consentaneum esse videtur. Cūm enim honor
virtuti debitus, non in sola, qua in animo sit, astimatione, quæve
ut plurimum à rudi plebe vulgique ingenio longè est remotissima,
sed & in externo quodam cultu positus sit, nihil certè magis ad
reverentiam conciliandam facere potest, quam si Magistratus aut
quisvis alius in sublimiori dignitatis gradu eminens, insignibus ex-
plendescat illustribus, vel nota quadam excellentiori coagulet, quā
discerni ab aliis facilius queat arque dignofci. Novimus hinc non
Regibus modò jam inde ab antiquissimis temporibus Coronas,
sceptra, prælatas aquilas, aliaque Majestatis ~~ornamenta~~ fuisse usu-
pata, sed & Magistratibus tributos fasces, secures, singula, lati-
clavia, currus & id genus variam pompam, qua oculos contuen-
tium perstringere, aliosque in admirationem abriper pariter ac
ad honorem exhibendum possent invitare & allicere. Quin &
ex loco prærogativam quandam accedere dignioribus voluerunt
veteres, dum cundem vel eminentiorem effinxeré, vel separatim
aut cancellis inclusum adornarunt, aut alio modo ad decus sui
possessoris efformarunt. Ex multis jam STALLVM clericis
7100

rum IN CHORO selegimus, quem lustrare quadam tenus, quidve
in sacris canonibus de isto statutum reperiatur, monere allubuit.
Nomen quidem quod attinet, originem istud debere Latio, veri-
simile videtur. Deflexum quippe censetur à Stabulo, cuius verbē
syllabas contractas & corruptas refert. Sed & Germanorum,
vocabulum Stall hinc pariter derivari, res est ad liquidum per-
ducta. Ipsum verò Stabuli nomen à Stando dici, & stationem
equorum jumentorum in proprio significatu designare, autor
est Salmasius Lib. d. usq. cap. XII. iuxta illud Poëtae : *Stabant*
tercentum nitidi in presepibus altis. In græco idiomate eadē
vox eodem ferè profertur sono, eandemque habet originem:
dicuntur namque *Stabula* στάβος, & ab hominum στάβοις discen-
nuntur cum adjectione ἀνθεύσαντα, monente Tabore Racematis.
erim. VI. ad Tit. Dig. Naut. cap. stabul. §. 9. Licet enim anti-
quitus stabula quoque hominum meritoria fuerint, impuris præ-
cipue Romuli nepotibus usurpata, in quib[us] sceminae impudice
quaestus causa diurnis nocturnisque horis stabant, ex quo etiam
Profibulorum nomen meruere. Rittershus. Leet. sacr. Lib. VII.
cap. 5. Quoties tamen in legibus nostris stabulorum mentio in-
jicitur, non nisi ad animalia rationis experientia referuntur, & præ-
dia designant alendis custodiendis pecoribus destinata, ita qui-
dem, ut pro diversa, quam præbent, utilitate, modò urbanis an-
umerentur prædiis, modò rusticis, prout eleganter docet Goed-
dæus ad L. CXCVIII. d. V. S. n. 3. Quod autem ad Stalli vocem,
usus ejus apud probatos Latinitatis auctores haud quidem repe-
titur, infino tamen latii sermonis ætate eandem receptam à non-
nullis scriptoribus ad denotandum quemlibet locum, quo quis
habitare, stare aut sedere consuevit, ac præsertim sedes vel apothe-
cas Mercatorum in foro atque nundinis Scalla appellata fuisse, e-
docet Carol. du Fresne Glossar. Latinit. verb. Stallum. Quo in si-
gnificatu Gregorius IX. Papa in cap. LXIX. d. appellar. memorat,
se accepisse, quod Decanus ac Capitulum Mogdenen. dixerit, alibi
quam in STALLIS DECANI & CAPITVLICARNIFICES,
h. e. laniones carnes vendere non debere. Nonnunquam etiam
pro Stallagio i. e. tributo, quod ex Scalla mercatorum exigitur, ac-
cipi;

cipi; interdum quoque pro qualibet habitatione vel domicilio,
Idem observat dict. loc. Speciatim verò ad Monachos hæc vox
transit & adhibita fuit ad significandam sedem uniuscujusque
Monachi aut Canonici in choro Ecclesiæ aliave ejus parte. Atque
hoc sensu in pluribus Juris pontificii locis *Stallum in choro* pro
fede certa Canonicis in templo deputata accipi dprehendimus.
Ut enim personæ istiusmodi ecclesiasticae haud vulgari dignitate
seculares seu laicos antecedere creduntur, ita fessione quoque &
loco separari ab iisdem & peculiari statione in certa Ecclesiæ pa-
te, quæ Chorus vocatur, dum vacant sacris, collocari voluerunt.
Nec parvum honoris augmentum ex eo sibi accedere arbitriati
sunt, quando hac ratione non habitu saltem, sed & ipso *Stalli*
niture dignosci possent ac idecirò reverentius haberi. Vñ hinc
postea invalidit, ut *S T A L L V S* iste, sive *S T A L L V M* pro sym-
bolo esset clericalis præminentia, atque beneficiorum ecclesiastico-
rum possesso per assignationem *S T A L L I I N C H O R O*
tribueretur & transferatur in alium. Quò pertinet, quod Inno-
centius III. in cap. XIX. de præbend. de Remensi ArchiEpiscopo
scribit, cui cum Canonicis Linconien. talis conventio intercesserat,
ut ab eis receptus in canonicum, & concessò sibi *S T A L L O*
I N C H O R O, & participatione qualibet divinorum fructus pre-
benda percipere non deberet, nisi loco proximo vacature. Eò &
spectat, quod non modo idem Valden. Episcopo & Abba. Vatican.
mandat in cap. XX. d. t. ut capitulo Xantonen. latam in ipsis ex-
communicationis sententiā tam diu servandam denuncient, do-
nec Magistrum R. recipient in canonicum, & ea, quæ ad canoniciatum
pertinent, cum *S T A L L O C H O R I* & loco capituli ei studeant
assignare: sed etiam quod in cap. XXV. ibid. refertur de duobus, qui-
bus capitulum Trecen. *S T A L L V M I N C H O R O* & locum in
capitulo & præbenda fructus communiter dividendos assignaratur.
Designat nimis *Stallus in choro* ipsum beneficium ecclesiasticum
sive præbendam, ut qui possessionem Stalli istius adeptus est, ipsum
beneficium possidere, ejusque redditibus frui credatur. Hinc in
cap. II. d. renunc. Alexander III. Abbatii Dolen. in hæc verba re-
scribit: *Cum inter P. Gaufridi & quosdam alios canonicos sancti*
B. super

I. super spirituali beneficio, scilicet STALLO IN CHORO & loco in capitulo quæ sitio fuisse diutius agitata, ideoque vobis mandamus &c. Ex isto ritu introducendi in stallum atque sic tradendi beneficia ecclesiastica natum est vocabulum INSTALLATIONIS, quo hodienum uti solemus ad denotandam solennitatem, quæ celebrari solet in inauguratione ministrorum, quibus officia tam secularia, quam spiritualia demandantur. Ipse Pontifex Honorius III. verbum illud Edicto suo ad universos Abbates & fratres cisterciensis ordinis directo utitur, in cap. XLIII. de Simon, quando INSTALLATIONIS solennitatem in ecclesiis Abbatibus ordinis cisterciensium fieri prohibet. Quæ quidem Installatio quomodo peragatur, expositum legimus in notis ad d. cap. lit. b. nimirum, quando electus & confirmatus introducitur in STALLVM, id est, sedem seu locum constitutum in choro & Abbatii deputatam ad sedendum. Utrumvero electus & confirmatus delatae provinciam administrare possit ante Installationem? Felinus Sandeus disputat, ad d. cap. XLIII. d. Simon. n. 2. seqq. negantem amplexus sententiam multisque constabiliens rationibus, quibus percensendis ob loci angustiam & propter propositi nostri leges supersedemus. Sufficiat nunc significasse, quod inclitum Jctorum Collegium per eximio atque doctissimo Jurium Candidato


THEODORO Bürglen/

zonores decreveris summos, quos ille singulari eruditione ac juris utriusque peritia dudum promeruit, atq; hinc Stallum eidem in choro, id est, sedem inter Eruditos, facultatemque standi in cathedra publica tradere constituerit. Hujus natales & studia pulcherrima ut enarrare, muneri illius, quo fungor adhuc, leges efflagitant. Nimiram, ut nativitatis locus haud parvum decus conciliat mortali bns, ita Candidato nostro in gloriam cedir, quod VLMÆ, quæ Svevia metropolitæ, & libertate imperiali etiamnum ac per tot secula enite-

icit, parentibus optimis, Genitore amplissimo, prudentissimoque JOANNE, LEONHARDO BURGELI, Senatoria togâ & negotiorum per Italiam frequentatione conspicuus, ac Matre, lectissimâ, ANNA MARIA, editus est in lucem. Accessere charo huic pignori ornamenta plura, quando ipsum laudati parentes non tantum in baptismatis ritu devotâ precum formulâ Deo commendarunt, sed etiam iis literis, quæ verum de Numine sensum insinuant, primam ejus ætatem consecrarunt. Præparatus sic Noster in laris domestici secreto, transit ad publicum Ulmense gymnasium, ibique septem classium, quas vocant, stadia emensus, variisque speciminibus, ad quæ metrica de Adventu Magorum oratio in numero Procerum urbis consessu recitata pertinet, defunctus, publicas clarissimorum Professorum, lectiones insigni cum fructu frequentavit. Magna animi alacritate M. G. VILIE LM VM DIE ZIV M, Eloquentiae ac græca lingua elegantias commonstrantem, M. EBER HARDVM RVDOLPHVM ROTHI VM, Logices, Historiarum ac Practicæ Philosophiaæ peritiam instillantem, M. MARTIN VM WOLFARTVM, ad dulcissimos Poëtarum fontes ac politioris literaturæ amoeniora ducentem, M. JOANNEM FRICKIVM, abditos Metaphysicorum sensus aperientem, M. HONOLDVM exquisitiora Mathematicorum dogmata explanantem, assestabantur, omniumque horum fidem eximiam ac singularem dexteritatem documentis manifestissimis experiebatur. Optima Patronorum ac Praeceptorum pace ex Gymnasio istuc dimissus, Augustam Vindelicorum ivit, ut studii juri dici, cui animu suum jam addixerat, prima elementa sub Viri nobilissimi, excellentissimique CHRISTOPHORI JACOBI LAVBERI, J. U. D. Reip. Augustanae Consiliarii præcipui ac meritissimi auspiciis addisceret. Sed terrore illo panico, quem effera Gallorum irruentium rabies oris istis intulerat, conturbatus, ad tutissimos Musaram

factum nostratum recessus per fugit, atque labentis secundum
octuagessimo octavo studiosorum cœtui adscriptus, per to-
tum illud, quo vixit penes nos, spatium se probum pariter
ac per quam industrium exhibuit. Profectum philosophi-
corum, quos jam in florentissimo Vlmenium Gymnasio im-
petraverat, egregia cepit incrementa, quando hic loci nunc
maxime reverendum atque excellentissimum, D. C A S P A R .
S A G I T T A R I V M , virum de Historia ad invidiam usque
meritis, nunc celebrissimum nostrum retum natu-
ralium interpretem C A S P . P O S N E R V M , de His-
toria &c passione Christi , nec non de generatione hominis
eruditissime exponentem , nunc reverendum plurimum &
excellentissimum Virum, J O . A N D R E A M S C H M I-
D I V M , SS. Theol. Licentiatum, ac Prof. P. ordinarium
longè celeberrimum , non Logicam duntaxat & Metaphy-
sicam , sed mathematicas quoque & alias disciplinas philo-
sophicas pro singulati sua ingenii fecunditate tradentem
aviddissimā mente auscultavit. Inprimis omni corporis ani-
mique contentione ad studiorum metam, Juris videlicet
artem, connivis, primū Polyhistoris ac Jcti excellentissi-
mi D. G E O R G II S C H V B A R T I , solidissimas ad Insti-
tutiones Imperatorias lectiones frequentavit, ac deinceps
per integrum triennium omnes Jurisprudentiae partes ex
disertissimo ore summi Jcti, illustris D. L Y N C K E R I ,
Consiliarii Saxonici intimi & in Curia Provinciali ac Scabi-
nati Praesidis ordinarii feliciter perdidicit. Quare Magno
huic Viro omnem suam salutem acceptam refert, & quicquid
tenet virum , devotissimo affectu consecrat. Nec verò ali-
orum Juris Professorum scholas hic adspersnatus est, sed
prælectionibus publicis Consultissimi P E T R I M V L L E R I ,
Cancellarii hodiè Ruthenici Magnifici , nec non excellen-
tissimi J O . P H I L I P P I S L E V O G T I I , Senioris in Fa-
cultate nostra gravissimi, ac iis quoque quas ipse habui, se-
dulum & constantem sese præbuit auditorem. Quâ singu-
lati

lari alacritate & indefessa opera tantam juris peritiam ob-
tinuit, ut in publico eruditorum certamine opposentis mu-
nia cum plausu sepius obiret. Confecto sic industriae aca-
demicae cursu, revocabatur quidem ad penates, sed nec ibi
de suo discendi impetu remittebat quicquam, verum nunc
ea, quae apud nos annotaverat solicite, revolvendo, nunc
aliorum Doctorum lustrando commentarios, mentem suam
magis ac magis quotidie perpoliebat. Cum autem inpri-
mis ex optimorum parentum desiderio, tot exhaustorum
laborum fructus percipere discuperet, ad nostram Musarum
sedem revertebatur, summos in Jure honores, antequam ad
pernoscenda exterarum nationum instituta peregre abire,
apud nos expetitus. Desideria hinc sua Collegio nostro
modestè aperuit, & ad examen admissus tam promte, tam
eruditè respondit, ut ex omnium suffragiis ad publica eden-
da specimina producendus conseretur. Cum igitur crastinæ
diei horæ X. lectionis, quam vocant, cursoria ad L.LXIII.
D. de Cond. & Dem. suscepturnus sit negotium, Magnificum.
Dn. Rectorem, Patres Academiæ venerandos, nec non Docto-
res & Magistros, omnesque alios ordinis nostro bene cupi-
entes, officiosè ac per amanter obteftor, ut constituto tem-
pore in J.Ctorum acroaterio frequentes compareant, suaque
benivolentiæ & attentione præclarri Candidati ausus eximios
cohonestent. Vti hoc in amoris erga Facultatem nostram
luculentum interpretabimur documentum, ita & ipsum no-
bis erit ad reciproca officia exhibenda incitamento. P. P.
Jenæ. Festo Die Johannis Baptiste. A. O. R.
M. DC. XCV.




01 A. 6517



TA - FG -

V. 17 Retro ✓





CHRISTIANI VVILDVOGELII. JCT.

CONSILIAR. SAXO. Vinar. AVLICI

ET IN ACADEMIA JENENSI ANTECESSORIS

COLLEGII JVRIDICI h. t. DECANI

D8

STALLO IN CHORO

40

cap. XIX. XX. XXV. d. prabend.

PROGRAMMA IN AVGVRALE.

P.P. Jenæ die XIVX. JUN. A.O.R. M. DC. XCV.

JENAE

Litteris Müllerianis